

pen hac ratione. Illa sola potentia dicitur esse libera, quae dominium habet plenum, tam respectu objecti, quam respectu actus proprii. Illa autem potentia dominium habet ex libertate respectu objecti, quae non est arctata ad aliquod genus appetibilis, sed nata est omnia appetibilia appetere. Et paulo post: voluntas in rationalibus non solum compefcit manum exteriorum vel pedem, sed etiam compefcit se ipsam, & refronat, incipiens adesse frequenter quae prius diligebat, & ex sui ipsius imperio & dominio. In brutis autem animalibus, est aliquo modo fit roperire dominium respectu actus exterioris, quem bene refronant aliquando, sicut patet in animalibus domesticis, respectu tamen actus proprii interioris videlicet appetitus dominium non est. Unde si aliquid amant, non possunt illud non amare; ac per hoc cum non possunt actum proprium reprimere, respectu actus proprii non habent libertatem. Possent & alia multa S. Bonaventurae testimonia proferri; si ea, quae usque modo protulimus, non satis evincerent, Janfenium perpetram ejus auctoritate glorari.

#### PRÆLECTIO VI.

Opera Justorum aeternae vitae meritoria esse, demonstratur.

Explicatis in antecessum conditionibus ad meritum requisitis; bonoque in lumine posita libertate ad hoc obtinendum necessaria. Succedit quaestio longe gravior expedienda, quae uti Protestantium, & Reformatorem genio magis arridet, ita & ab his majori contentione defenditur. Horum una vox est, una sententia, opera Justorum non esse aeternae vitae meritoria. Quare ut eorum audaciam primo statim in limine refellam, asseveranter contra ipsos affirmo, Dogma fidei esse, Justorum opera esse aeternae vitae meritoria.

Hoc igitur primo ex novi Testamenti oraculis ostendere aggrediemur. Limpidissimum, discretissimumque illud mihi semper est visum, quod desumitur ex verbis Christi Matth. cap. 5. Beati qui persecutionem patiuntur propter Justitiam, quoniam ipsorum est Regnum Caelorum. Beati estis cum maledixerint vobis & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos mentientes propter me: gaudete & exultate quoniam merces vestra copiosa est in Caelis; ex quo aperissime liquet, bonis operibus vitam aeternam seu mercedem reddi, Christum eo in loco testari.

Demonstratur id ipsum ex parabola patris familias, procuratori suo dicentis, Matth. 20. Voca operarios, & redde illis mercedem. Denarius diurnus, de quo patrem familias cum operariis convenisse narrat haec parabola, vitam aeternam significat secundum Patrum expositionem, quos inter praecipue legendus est S. Hieronymus lib. 2. contra Jovinianum. Concludendum est ergo, vitam aeternam reddi iustis nomine mercedis.

Præterea: quod laborantibus duntaxat tribuitur secundum mensuram, & proportionem operum & laboris, proprie mercedis rationem habet, quae meritis redditur: atqui vita aeterna non nisi laborantibus tribuitur secundum mensuram operum & laboris: ergo propria rationem mercedis habere dicendum est. Liqueat hoc ex verbis Christi Matth. 16. si quis vult post me venire abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me: qui enim voluerit animam suam salvam facere perdet eam: qui autem perdidit animam suam propter me inveniet eam. Quid enim prodest homini mundum si invenerit lucrum, anima vero sine detrimentum patitur: aut quam dabit homo commutationem pro

anima sua? filius enim hominis venturus est cum gloria Patri sui, cum Angelis suis, & tunc reddet unicuique secundum opera ejus. Et ad Rom. 2. secundum duritiam tuam & impenitentem cor Theaurizans tibi iram in die ira & revelationis iusti iudicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus, iis quidem qui secundam patientiam boni operis gloriam & honorem, & incorruptionem quarunt, vitam aeternam: iis autem, qui sunt ex contentione, qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio. Et 1. ad Corinb. cap. 3. Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. Et ad Galatas 6. Quae enim seminaverit homo, haec & metet; qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem: qui autem seminat in spiritu de spiritu metet vitam aeternam. Ex quibus duo colliguntur. Primo: eodem modo vitam aeternam retribuit meritis iustorum, sicut aeterna damnatio retribuitur improborum demeritis; adeoque sicut impii vere & proprie merentur aeterna supplicia: ita iusti vere & proprie praemia promerentur aeterna. Id tantum discriminis intercedit, quod iniqui per se ipsos damnationem sibi procurant, iusti vero solius gratiae Christi beneficio, & in meritum ejus communique vitam aeternam mereantur. Secundo: proportionem esse quandam operum, quae in gratia, & ex charitate fiunt cum vita aeterna, sicut proportio quandam est seminis cum messe. Quin etiam Tertio: colligitur, mercedem Sanctis propter opera bona, non solum quatenus signa sunt, fructusque fidei, ut haeretodoxi respondent, sed quatenus merita sunt proprie dicta: sicut virtuti seminis inopia vel ubertas responderet, non ut mero signo, sed ut causa illam producenti. Quae vitiligatio etiam refellitur ex antithesi bonorum & malorum, quibus pariter secundum opera ipsorum reddi praemium vel supplicium Irrogari asserit Spiritus Sanctus: quis autem adeo desipiat ut homicidio, adulterio, sacrilegio non deheri per se poenas asserat, sed solum quatenus fidei absentis signa sunt? Quarto: vitam aeternam reddi bonis operibus non solum ut signis fidei, sed ut meritis Scriptura sacra docet: cum rationem cur vita aeterna tribuatur, non in fide sola, sed in bonis operibus constituit. Matth. 25. Euge servus bone & fidelis, quia super pauca susti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui. Et ibidem: Tunc dicit Rex his qui a dextris ejus erunt, venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum a constitutione mundi: esurivi enim & dedistis mihi manducare. Et Apocalypsis 7. Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine agni: ideo sunt ante Thronum Dei & serviunt ei die ac nocte in Templo ejus.

Inanis est autem Calvini responsio dicentis, haec voces, quia & ideo significare ordinem & consequentiam, non causam; ordinem, inquam, divinae providentiae, quae Regnum Coeleste non tribuit, nisi his qui bona opera ediderunt, quamvis opera ipsa non sint meritoria possessionis Regni: nam Scriptura sacra eodem modo loquitur de Justorum praemiis, ac de impiorum suppliciis, Matth. 25. in sententia adversus impios lata, cum dicit Christus, esurivi enim & non dedistis mihi manducare, vox enim solum ordinem divinae Providentiae non significat, sed aeternam damnationem malis meritis irrogandam: Igitur & in remuneratione electorum, haec verba, esurivi enim & dedistis mihi manducare, solum ordinem divinae Providentiae non significant, sed rationem ob quam Deus ipsos vocat ad Regni possessionem. Christi mentem explicat Apostolus ad Corinb. 4. cap. his verbis: id enim, quod in praesenti

seni est momentaneum & leve tribulationis nostrae supra modum in sublimitate, aeternam gloriae pondus operatur in nobis non contemplantibus nobis quae videntur, sed quae non videntur, quae enim videntur temporalia sunt, quae autem non videntur aeterna sunt. Sane verbum illud operatur non solum ordinem Providentiae, sed causationem quandam significat saltem moralem & meritoriam.

Et ad Hebr. 13. Beneficentia, inquit, & communionis nobis oblivisci, talibus enim hostiis promeretur Deus; non solum res ipsa sed nomen meriti haeretodoxis tantopere invisum in illo S. Pauli loco exprimitur. Id rursus probatur altera illa ex Scripturis sacris deprompta ratione: quod redditur ex Justitia, illud redditur meritis: atqui vita retribuitur sanctis ex Justitia; redditur itaque meritis.

Probat hoc ex Apostolo 2. ad Thess. cap. 1. ita ut, inquit, & nos ipsi in vobis gloriamur in Ecclesiis Dei pro patientia vestra & fide, & in omnibus persecutionibus vestris & tribulationibus quas sustinetis in exemplum iusti iudicii Dei ut digni habeamini in Regno Dei pro quo & patimini: Si tamen iustum est apud Deum retribuere tribulationem iis, qui vos tribulant, & vobis qui tribulamini requiem nobiscum in revelatione Domini Jesu, de Coelo cum Angelis virtutis ejus.

Et 2. ad Timoth. 4. bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; in reliquo reposita est mihi Corona Justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.

Id confirmatur ex comparationibus, quas instituit Apostolus vitam aeternam cum bravio & cum deposito: sicut enim in stadio currentibus, & in agone contendentibus, corona corruptibilis decernitur, si victoriam reportant: ita currentibus in via mandatorum Dei, & contra salutaris hostes dimicantibus incorrupta corona tribuitur. Nescitis, inquit Apostolus 1. ad Cor. 9. quod ii, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt: sed unus accipit bravium; sic currite ut comprehendatis, omnis autem qui in agone contendit ab omnibus se abstinet, & isti quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.

Idem probat comparatio depositi, quod ex Justitia redditur ei, qui ipsum credidit fidei alterius. Scio, inquit Apostolus 2. ad Timoth. 1. cui credidisti, & certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem. Itaque bona opera & passiones, quas pro Christi causa perferimus apud Deum deponunt, qui novissimo die, pro his praemium aeternum retribuet.

Denique dignum esse praemio, & praemium mereri idem est juxta illud Luca 10. dignus est operarius mercede sua: at iustus dignos esse Regno Dei Scriptura sacra testatur: Matth. 20. 2. ad Thess. 1. & Apocal. 3. Itaque iusti Regnum Dei merentur. Priora loca satis expendimus. Tertius sic habet: & ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt, qui vicerint sic vestientur vestimentis albis: & non delebo nomen ejus de libro vitae. & confitebor nomen ejus coram Patre meo, & coram Angelis ejus. His omnibus locis non repugnat illa Apostoli sententia ad Romanos 8. existimo enim quod non sunt condigna passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis. Non repugnat, inquam, his locis: offendit enim Apostolus hujus saeculi passiones non esse pares divinae gloriae, si earum intento atque duratio, cum intentione & duratione gaudii, quod in futura vita percipiemus, comparatur. Quia haec momentanea sunt, illud aeternum; ac non negat quin pares sint futurae gloriae, si virtus earum ac valor spectetur in Dei promissione fundatus. Sicut semen arbori gignende par est, si virtus ejus

spectetur, ex naturae institutione ad producendam arborem ordinata; quamvis secundum molem spectatum longe sit impar arbori; & sicut ex institutione & pacto hominum, modicum aurum aequo & bono aequivaleret; cum sit alioquin aequalitate & praesentia multo minus. Certe non negabunt Adversarii, quin peccata ponant ignis aeterni mereantur, cum tamen hujus saeculi voluptates, quibus peccatur, nequaquam pares sint poenae, vel magnitudine vel diuturnitate.

#### PRÆLECTIO VII.

Haec eadem Sententia Patrum, & Conciliorum auctoritate roboratur: Nonnullorum Reformatorem & Protestantium ejusdem Saeclae auctorum momenta expenduntur, quibus hanc Lutheranorum sententiam aequae ac Catholici, invidis argumentis refellunt, Adversariorum objectiones convelluntur; easque facile solvi posse demonstratur, si e medio tollerentur quaestiones, quae inter Catholicos sunt controversae, & quae fidei summam non spectant.

Quamquam superiori Relatione Sacramentum Scripturarum Oraculis fat bene in aperto posuerim, iustorum opera esse aeternae vitae meritoria: officio tamen meo defuisse videri possum, si & invictissimis Patrum, & Conciliorum momentis hanc catholicam veritatem contra haereticos non propugnarem, etsi id inutile videri possit, cum vix distentent ipsos passim usos esse vocabulis meriti, & mercedis, ubi de vitae aeternae retributione egerunt.

Et sane Calvinus lib. 1. Inst. cap. 15. Parag. 2. cum pessime consuluisse fidei sinceritati efficiat, qui primus vocem meriti operibus tribuit, cum tamen vitae aeternae meritum in iustis veteres agnovisse dubitaret; convinci potest Testimoniis S. Justini in apologia ad Imperatores, S. Irenaei lib. 4. adversus haereses cap. 72. Tertulliani passim in lib. de Resurrectione carnis, S. Cypriani passim in Epistolis, & lib. de unitate Ecclesiae, ubi dicit: Justitia opus est, ut promereri quis possit Deum; praecipis ejus & monitis obtemperandum est, ut accipiant opera nostra mercedem; S. Gregorii Nissenii Orat. 1. de amandis pauperibus; S. Hilarii Canon. 6. in Matth. ubi ait: de nostro est beata illa aeternitas, de nostro praestandum est; S. Joannis Chryostomi homil. 42. in Genesim, homil. 43. in 1. ad Corinb. 1. & homil. 2. de Lazaro; S. Ambrosii in Plat. 178. ad illa verba: Memor esto verbi... & lib. 7. in Lucam ad illa verba numquam duo passeres; S. Hieronymi lib. 2. adversus Jovinianum, sed maxime S. Augustini Epist. 105. ad Sixtum dicentis, nulla res sunt opera Sanctorum? Sunt plane, quia iusti sunt: sed ut iusti fierent merita, non fuerunt: quod est ergo meritum hominis ante gratiam, quo merita percipiat, cum omne bonum meritum nostra non faciat in nobis nisi gratia, & cum Deus coronat merita nostra, non aliud coronat quam dona sua? Sicut enim ab initio fidei misericordiam consequuti sumus, non quia fideles eramus, sed ut essemus. Sic in fine, quod erit in vita aeterna, coronabit nos sicut scriptum est in misericordia & miseratione: non itaque frustra Deo cantatur, & misericordia ejus praevenerit me & misericordia ejus subsequetur me: Unde & ipsa vita aeterna, quae utique in fine sine fine habebitur, & ideo meritis praecedentibus redditur; tamen quia eadem merita quibus redditur, non a nobis parata sunt per nostram sufficientiam, sed in nobis facta per gratiam; ipsa gratia nuncupatur non ob aliud nisi quia gratis datur; Nec ideo quia meritis non datur, sed quia dato sunt, & ipsa merita quibus datur. Quibus Augustini verbis & ratio meriti accuratissime explicatur, & diluitur obiectio, quam Haeretodo-

xi ex Apostoli verbis petunt, gratia Dei vita eterna.

Ibidem exponit SS. Doctor illa Apostoli verba ad Romanos 6. Stipendium peccati mors, gratia autem dei vita eterna in Christo Jesu Domino nostro. Querit ibi cur non dixerit stipendium Justitiae vita eterna: & verum est, inquit, quia sicut merito peccati tanquam stipendium datur mors; ita merito Justitiae est tanquam stipendium vita eterna. Unde etiam & merces appellatur in plurimis Scripturae locis. Id autem non dixisse Apostolum, observat ad reprimendam hominis elationem. O humana, inquit, non Justitia, sed nomine Justitiae plena superbia, quid te disponis extollere, & contra meritum vitam aeternam tanquam debitum stipendium flagitare? Cui debetur vita aeterna vera Justitia est: si autem vera Justitia est, ex te non est; desusum est descendens a Patre luminum: ut haberes eum, si tamen habes, eam profecto accepisti. Quapropter, o homo, si acceptus es vitam aeternam, Justitia quidem stipendium est, sed tibi gratia est, cui gratia est ipsa Justitia: tibi enim tanquam debita redderetur, si ex te tibi esset Justitia, cui deberetur. Cum ergo de plenitudine ejus accipimus, non solum gratiam, qua nunc iuste in laboribus usque in finem vivimus, sed gratiam pro hac gratia, ut in requie postea sine fine vitamur.

Idem confirmat in libro de Gratia & lib. arb. cap. 6. ubi exponens illa verba Apostoli, ego enim jam delibor, & tempus resolutionis meae instat: bonum certamen certavi, statim haec subdit: Ista utique jam merita sua bona commemorat, ut post bona merita consequatur coronam, qui post merita mala consequutus est gratiam. Denique attendite quid sequatur, supersedit, inquit, mihi corona Justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex: Cui redderet coronam justus Judex, si non donasset gratiam misericors pater? & quomodo esset ista corona Justitiae, nisi praecessisset gratia que justificat impium? quomodo ista debita redderetur, nisi prius illa gratuita donaretur? Sed cum dicitur Pelagiani, hanc esse solum non secundum merita nostra gratiam, qua homini peccata dimittantur: Illam vero que datur in fide id est aeternam vitam meritis nostris praecedentibus reddi: Respondendum est eis. Si enim merita nostra sic intelligerent, ut etiam ipsa dona Dei esse cognoscerent, non esset reprobanda ista Sententia, quoniam vero merita humana sic predicant, ut ea ex semetipso habere hominem dicant, propterea rectissime respondet Apostolus, quis enim te discernit? quid autem habes, quod non accepisti? quid gloriaris, quasi non accepervis? propterea talia cogitanti, verissime dicitur: dona sua coronat Deus non merita tua. Si tibi a te ipso non ab illo sunt merita, tua haec enim si vita bona nostra nihil aliud est, quam Dei gratia sine dabo, & vita aeterna, que bonae vitae redditur, Dei gratia est: & ipsa enim gratis datur quia gratis data est illa cui datur: sed illa cui datur tantummodo gratia est: haec autem que illi datur, quoniam premium ejus est. Pro gratia tanquam merces pro Justitia, quoniam verum est, quia reddit unicuique Deus secundum opera ejus.

Non minus luculenter ex lib. de correptione & gratia cap. 13. numerus ergo SS. inquit, per Dei gratiam Dei regno praedestinatus donata sibi etiam usque in finem perseverantia, illuc integro perducitur, & illic integerrimus jam sine fine beatissimus serbabitur, adhaerente sibi misericordia Salvatoris sui, sine cui conseruntur, sive cum praedantur, sive cum conantur. Nam & tunc esse illis Dei misericordiam necessariam S. Scriptura testatur: ubi S. David de Domino Deo suo, dicit anime suae, qui coronat te in miseratione & misericordia. Dicit etiam Jacobus Apostolus, iudicium sine misericordia

illi qui non facit misericordiam. Ubi ostendit, etiam in illo iudicio, in quo iusti coronantur, iniuste damnantur: alios cum misericordia, alios sine misericordia iudicandos; propter quod etiam Mater Machabaeorum dicit filio suo, ut in illa miseratione cum fratribus suis te recipiam.

Et paulo infra: cum enim dicitur, iudicium sine misericordia illi qui non facit misericordiam, manifestatur in his, in quibus inveniuntur bona opera misericordiae, iudicium in misericordia fieri: ac per hoc etiam ipsam misericordiam meritis bonorum operum reddi. Non sic est nunc quando non solum nullis bonis, sed etiam multis malis operibus praecedentibus, misericordia ejus praevenerit hominem ut liberetur a malis, & que fecit, & que facturus fuerat, nisi gratia Dei regeneraretur; & que passurus fuerat in eternum nisi erueretur a potestate tenebrarum & transferretur in regnum filii Charitatis Dei. Verumtamen quia & ipsa vita aeterna, quam certum est bonis operibus debitam reddi, a tanto Apostolo gratia Dei dicitur: Cum gratia non operibus reddatur, sed gratis detur, sine ulla dubitatione consistendum est, ideo gratiam vitam aeternam vocari, quia his meritis redditur, qua gratia contulit homini: veste quippe dicitur quod in Evangelio legitur, gratiam pro gratia, id est pro his meritis, que contulit gratia. Haec Augustinus, quibus gemina sunt quae habet in Enchiridio cap. 106. & 107. Legatur & liber de moribus Eccles. cap. 25. & alibi passim. Ex his S. Augustini locis facile distantur haereticorum objectiones petite ex illis verbis Apostoli, gratia Dei vita aeterna: & ex illis Prophetarum Regis Psal. 102. qui coronat te in misericordia & in miserationibus; ex illis S. Jacobi, iudicium sine misericordia illi qui non facit misericordiam. Ex illis etiam peripicuum est, iustos semper indigere misericordia non solum bona opera donante, sed peccata remittente; que etsi non semper, interdum tamen bona opera insistant; dum hic V.G. nimis in oratione defixus externa opera negligit, ad qua ex officio tenetur: Ille libris nimis affixus non facit orationi vacat: hic zelo abreptus nimiam in severitatem plerumque declinat, aut per ignorantiam plerumque delinquit, & in partes trahitur oborto naso; nec satis habet Charitatem veritatis, quamvis habeat veritatem Charitatis: Ille nimis bono publico consulendo privatis plerumque incommodat; hic amicis indulgendo non satis sese corruptela opponit: Ille nimium praecipiti oburgatione delinquentes infestat, potius quam emendat. Hic nimium sibi adulator indulgetque sensibus: hic feveriori mortificatione, nec secundum christianae prudentiae leges adhibita vires destruit, seque ipsum ad obeunda officia & juven-dos proximos reddit impotentem: quae S. Augustinus spectans in Confessionibus clamabat: Ve etiam laudabili vite boninum, si remota misericordia discutias eam.

Catholicum hoc dogma S. Prosper confirmat in responsione ad Caput 6. Gallorum: Justificatus homo, inquit, id est ex impio pius factus, nullo precedente bono merito accipit donum, quo medio acquirit & meritum.

Secundum hos PP. Araucana Synodus II. Canonem 18. ait: debetur merces bonis operibus si fiant; sed gratia que non debetur, praecedit ut fiant.

Suffragatur etiam Concilium Lateranense sub Innocentio III. Cap. firmiter, de Summa Trinitate & fide Catholica; Concilium Florentinum in definitione fidei: & Tridentinum Sess. 6. Canone 26. cujus haec sunt verba: si quis dixerit iustos non debere pro bonis operibus, que in Deo fuerint facta expectare, & sperare eternam retributionem a Deo per ejus misericordiam, & Jesu Christi meritum, si bene

bene agendo & divina mandata custodiendo usque in finem perseveraverint, anathema sit. Quam doctrinam uberius explicat Cap. 16. Justificatis hominibus, inquit, proponenda sunt Apostoli verba: abundate in omni opere bono scientes, quod labor vester non est inanis in Domino. Non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius: & nolite amittere confidentiam vestram, qua magna habet remunerationem; atque ideo bene operantibus usque in finem & in Deo sperantibus proponenda est vita aeterna, & tanquam gratia filii Dei per Christum Jesum misericorditer promissa: & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda. Cum enim ille ipse Christus Jesus tanquam caput in membra & tanquam vitis in palmites ipsos justificatos jungit virtutem infuset; que virtus bona eorum opera semper antecedit & comitatur, & subsequitur, & sine qua nullo pacto Deo grata & meritoria esse possent; nihil ipsis justificatis amplius desse credendum est, quamvis plene illis quidem operibus que in Deo sunt facta, divina legi pro huius vitae statu satisfacisse, & vitam aeternam suo etiam tempore, si tamen in gratia accesserint, consequendam vere promeruisse constentur. Cum Christus Salvator noster dicat, si quis biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum; sed sit in eo fons aquae salientis in vitam aeternam. Et infra: absit tamen ut Christianus homo in se ipso vel confidat vel gloriatur, & non in Domino. Cujus tanta est erga omnes homines bonitas, ut eorum velit esse merita, que sunt ipsius dona; & quia in multis offendimus omnes; unusquisque sicut misericordiam & bonitatem, ita severitatem & iudicium ante oculos habere debet; neque se ipsum aliquis etiam ipse nihil sibi conscius fuerit, iudicare: quoniam omnis hominum vita non humano iudicio iudicanda est; sed Dei, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit conscientiam hominum, & tunc laus erit unicuique a Deo: qui (ut scriptum est) reddet unicuique secundum opera sua.

Nec quicquam meritis Christi derogat haec doctrina, ut haereticis objiciunt, cum merita iustorum ex Christi meritis derivare; nec vim ipsis ullam addere profiteamur. Id praclare explicat Cardinalis Hofius Cap. 67. quemadmodum, inquit, a Paulo dictum est, vivo ego, vivo autem iam non ego, vivit vero in me Christus;

Ita qui cum Paulo per fidem & baptismum eodem Christi corpori sumus infusi, cuius etiam spiritu vegetamur: si quod subinde nos monet, imitatores illius facti fuerimus; dicere quisque nostrum cum illo poterit, vivo autem iam non ego, vivit autem in me Christus: laboro iam non ego, laborat autem in me Christus: operor iam non ego, operatur autem in me Christus: mereor iam non ego, meretur autem in me Christus. Modo sanus adit horum verborum intellectus. Vique enim ea sic oportet accipi quasi non vivamus, non laboremus, non operemur, non mereamur ipsi quoque, quin imo nos sumus, qui vivimus, qui laboramus, qui operamur, qui meremur, sed ut vivamus, facit vita nostra Christus; ut operemur facit qui & voluntatem nobis inspirat & vires suppeditat adiutor noster Christus; ut mereamur facit qui merita sua nobiscum communicat Remptor noster Christus. Sic Augustinus ad Demofiacum scribens: nos quidem ambulamus, verum est, nos observamus, nos facimus; sed ille facit ut ambulemus, observemus, faciamus. Et in alio quodam libro: nos ergo volumus, sed Deus operatur in nobis & velle; nos ergo operamur, sed Deus in nobis operatur & operari pro

bona voluntate. Haec nobis expedit & credere & dicere, hoc est pius, hoc est verum ut sis humilis & submissa confessio & totum detur Deo. Quando itaque dicit homo Christianus, vivo autem iam non ego, vivit autem in me Christus; hoc dicere videtur: vivo autem ego, non iam ille qui conceptus in iniquitatibus, ex carnis meae parentibus ira filius natus; verum qui sum ex aqua & Spiritu Sancto Deo filius renatus; qui sum in baptismo veterem exutus, & novum hominem indutus Dominum nostrum Jesum Christum, in cuius fide vivo, cuius etiam agor Spiritu. Hic meam infirmitatem adjuvat, hic ad operandum & voluntatem impellit, & facultatem suggerit: hic efficit pro sua inenarrabili bonitate, ut qui dum natura filius esse sem iram nihil mereri poteram, nisi gehennae supplicia, factus per adoptionis gratiam Dei filius & haeres; frater autem ipsius & coheres; Jam deinceps merari possum ea qua Dei filio & haeredi, quae Christum induto debentur, ut quiddam mereor non tam meo, quam ipsius quem indui Christi merito merear: meum namque meritum quatenus pure meum extra Christum factum, non erat nisi meritum supplicii, postquam autem vivo in fide filii Dei, iam illud qualecunque a me profectum, illius aspersum sanguine pretioso, pretium ex eo mutatur, ut fiat meritum celestis praemii, non sua quidem ipsius, verum Christi viventis, operantis, & merentis in me virtute dignitateque; qui, quae est illius immensa benignitas, merita mea qua sunt ipsius dona, non tanquam merita mea sed tanquam dona sua coronat: nam & ab ipso manant, & ex ipsius morte pretium acquirunt. Haec Doctissimus Cardinalis.

Nec juvat haereticorum locus ille celebris Lucae 17. ubi Christus Salvator jubet, ut dicamur, servi inutiles sumus. Non enim haec a Christo dicta sunt, quasi nihil apud Deum mereamur; sed quia ex nobis, & secundum naturam ac liberi arbitrii vires inutiles sumus: Ceterum pro gratiam utiles: unde Apostolus 2. ad Timotheum cap. 2. ait: qui emundaverit se ab his, erit vas in honorem sanctificatum, & utile Domino, ad omne opus bonum paratum. Deinde servi inutiles dicimur, quia quiddam agimus in solam utilitatem nostram redundat, non Dei, qui operum nostrorum, & bonorum non eget.

Tertio: dicimur servi inutiles, quia nihil mercedis postulare possemus, nisi Deus liberali promissione se ipsum nobis obstrinxisset: cum Dei mancipia simus: & si velit haec omnia posset a nobis exigere absque ullo praemio. Haec explicatio nititur ipsis Evangelii verbis in eadem parabola. Quis autem vestrum habens servum arantem aut pascentem boves, qui regresso de agro dicat illi: statim transi, recumbat; & non dicit: para quod cenem, & praecinge te, & ministra mihi, donec manducem, & bibam, & post haec tu manducabis & bibes: numquid gratiam habet servus illi, quia fecit quae ei imperaverat? non puto. Sic & nos cum feceritis omnia, quae praecpta sunt vobis, dicite: servi inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus. Ex quibus colligere est duntaxat nos servos inutiles dici, quia opera nostra nequaquam in Dei commodum redundat ullam, quamvis nobis in primis utilia sint, & ab ejus munificentia mercedem promereamur. Sane haereticorum magis nocet, quam saveat locus ille. Illi enim vero praecpta Dei nobis esse impossibilia ore blasphemio asserunt. At Christus ait, nos legem adimplere posse: sic & vos cum feceritis omnia quae praecpta sunt vobis. Illi effugiunt operum iustorum esse peccata: contra Christus asserit,

rit, iustos dicere posse quod debuimus facere, fecimus.

Adeo vero absorta est, & ridicula Lutheri & rigidiorum Lutheranorum sententia, afferentium omnia iustorum opera esse peccata mortalia, ut eisdem Secta doctores auctores flagitiosam illam sententiam æque ac Catholici validis argumentis resellant. Unius ex illis ad illam expugnandam verba rationesque mutabimur, scilicet Forbesii lib. 4. *dissert. historico-Theologicarum cap. 5. de justificatione*, cum Deus, inquit, suaviter & benigne semper nobiscum agere velit, nec quidquam federe Evangelico exigat, quod vires gratiæ collatas excedat: Certe nimio plus rigidi & hyperbolici sunt Protestantes hi, qui præstantissima etiam iustorum opera peccato inquinata & ex se æterna morte digna, quamquam per Christi gratiam facta esse contendunt. De bonis iustorum operibus longe aliter loquuntur Sacre Litteræ, quam huius durissimæ sententiæ assertores, ea sæpe absolute & simpliciter bona opera nominant. Item opera lucis; hostias Deo placentes & acceptas, vestes mundas, puram & Immaculatam religionem, & qui sancte hic vivunt, iustitiam opera fecisse, & vestimenta sua non inquinasse dicuntur *Apocalypsis* 3.

Quarto: bene etiam operantibus magna, ut constat, passim promittit. Cum in presenti, tum in primis in seculo futuro: in multis, inquit Iacobus cap. 3. *offendimus omnes*: non igitur in omnibus: mitto innumerabilia, quæ in hac Sententia ex Scripturis citari possent.

Patres autem ab hac sententia adeo abhorrent, ut ii etiam, qui Pelagii dogma de perfectione hominis in hac vita æcriter oppugnant, licet negaverint posse hominem iustum per omnem vitam aut etiam longo vite tempore omne omnino peccatum evitare: semper tamen concesserint aliquo saltem tempore, modo diligenter sibi caveat iustus, id præstare posse.

Pugnat etiam hæc sententia cum certa ratione. Quid enim magis injurium dici potest Christi gratiæ; quæ non tantum a reatu, sed etiam a dominio nativæ corruptionis nos liberavit; quam asserere nos nihil minus nihil profus vel cogitare, vel dicere, vel agere posse, quod purum sit a peccato? Certe qui sententiam hanc tuerentur, licet sibi videantur omnium maxime Dei gratiam & misericordiam prædicare & laudare; revera tamen, sed imprudenter veteris Adami, & peccati inhabitantis, magis quam Christi illiusque gratiæ vires evchunt. Quod enim vim gratiæ Christi evchunt in aliquo & in athomo prope præstantium, ut si gemens dicam, Abba Pater, vel Kyrie eleison absque omni peccati inquinamento, in futurum tantum sæculum, ubi pleraque quæ nunc præcipiuntur pro statu viæ officia cessabunt, rejicere audent. Judicet is in quo recti Judicii vel mica inest, quam absurdum sit id dictum; quam male etiam cum recta ratione convenit: unum idemque opus ex duobus principiis tam diversis carne scilicet, sive naturæ corruptione, & spiritu ejusque gratia procedere ac proinde vere bonum esse: quod non inficias eunt: quemadmodum hæc sententiam mordicus defendunt, & simul carnis vitio pollutum dignum præmio divina saltem dignatione, & simul pœna damnationis.

Locus ille Isaia cap. 64. de panno menstruato, vulgo notus, ex quo potissimum Protestantes rigidiores sententiam suam apertissime & invictissime probant putant, multorum etiam Protestantium doctissimorum iudicio, ad rem hanc nihil spectat. Lutherus in *annotationibus ad Isaia in hunc locum* affirmat, sententiam hanc nihil ad hoc pertinere, quod iustitia nostra impura sit; & re-

cantat quod aliquando, in assertione scilicet *articuli* 3. illum sensum usurpaverit; aliumque assignat: neque ad hoc Lutheri testimonium rigidissimi ipsius sectatores quidquam respondent, cum a Bellarmino aliisque oppositum esset, sed tacite prætereunt.

Verum est Bernardum in *Sermone* 5. de verbis Isaia, & *Sermone* 1. de festo omnium Sanctorum, Geslōnem parte 3. de consolatione Theologiæ, & quosdam nuperos Romanæ etiam partis Scriptores, hoc Prophetæ dictum ad Iustitiam etiam Sanctissimorum hominum accommodare. Sed illud primo præter Prophetæ mentem faciunt. Secundo: licet de toto cursu operum Sanctorum dicant; & quidem vere Iustitiam nostram in hoc sæculo plurimis, quæ illam quotidie comitantur, peccatis maculari, nemo tamen eorum eo usque progressus est, ut affirmaret, omnia omnino ad unum usque opera Sanctissimorum peccato fedata esse. Hæc Forbesius.

Ex his colligitur Synodum Tridentinam *Sess. 6. Can. 25.* merito anathemate confixisse hæreticorum errorem, qui iustos in quolibet opere peccare assererent: si quis, inquit, in quolibet bono opere iustum saltem venialiter peccare dixerit, aut quod intolerabilius est, mortaliter; atque ideo pœnas æternas mereat, tantumque ob id non damnari, quia Deus ea opera non imputet ad damnationem, anathema sit.

Alia argumenta, quæ a Protestantibus, & Reformatis obijciuntur facile solvi possunt, si e medio tollantur quaestiones, quæ inter catholicos solent agitari, & quæ fidei summam non spectant. Sic non est quaestio inter nos & hæreticos utrum opera Iustorum sint vere meritoria ex propria & intrinseca dignitate. In Scholis enim Catholicorum Theologorum disputatur, an sit pœna veri meriti ratio ex sola operum intrinseca dignitate, an simul a pacto: an vero ab acceptatione divina? Schotitzæ negant opera Iustorum ex se spectata, quatenus ex gratiæ auxilio procedunt habere condignitatem, & rationem meriti vitæ æternæ, sed totam dignitatem procedere affirmant ex liberalitate Dei, illa juxta promissionem suam completentis, iidemque dignitatem seu valorem conferentis. Negant proinde Deum obligari proprie ad retribuendum bonis operibus nostris vitam æternam, sed ex liberali promissione Dei ipsis reddendam asserunt, quia ad tale præmium a Deo acceptantur. Vide Schotum in 1. *Sens. dist. 27. quest. 3. & in 3. dist. 18. quest. 5.* de Merito ex condigno: Lege & Alphonsum de Castro in lib. *adversus hæreses verbo, meritum*. Vasques 12. *disp. 214. cap. 4.* & alii asserunt valorem & dignitatem vitæ æternæ absque ullo pacto & favore operibus Iustorum adscribendum esse, hoc ipso, quod in statu Iustitiæ per auxilium gratiæ facta sunt. Secundo operibus Iustorum nullam accessionem dignitatis provenire ex meritis aut persona Christi, quam alias non haberent ex eadem gratia a solo Deo liberaliter collata. Tertio: quamvis operibus Iustorum divina promissio accesserit: eam tamen, aut ullum aliud pactum aut favorem ad rationem meriti nullo modo pertinere. Tertia Sententia quæ Thomistarum est, opera bona, hoc ipso quod ex Iustitia & gratia sint facta, asserit habere totam condignitatem ad verum meritum necessariam, quia gratia fons ille est aquæ salientis in vitam æternam, & vitæ æternæ semen est, nondum tamen habere rationem meriti completam donec illis accedat promissio, & pactum Dei de remuneratione. Ita jus ad præmium solis operibus nostris non competit secundum se spectatis, prout etiam a gra-

tia

tia informantur, & ex Charitate fiunt; sed quatenus Deus misericorditer se obtrinxit ad illa remuneranda, & ex fidelitate mercedem æternam illis retribuere tenetur, quæ est Iustitia improprie dicta, & secundum quendam modum.

Non est etiam controversiæ caput inter nos, & hæreticos, an iusti vitam æternam mereantur de condigno; quamvis enim communior ea sit in Scholis sententia, quæ meritum de condigno adstruit; Concilium tamen Tridentinum de illa condignitate ne verbum quidem habet.

Denique non est controversia inter nos & hæreticos, an vita æterna quoad primum gradum cadat sub meritum, an vero quoad gradus duntaxat præstantiores. Sunt enim ex Catholicis etiam Theologis nonnulli, qui vitam æternam quoad primum ipsius gradum haberi velint ab omnibus electis Titulo hæreditatis duntaxat, sicut eo solo nomine habetur a parvulis regeneratis: quoad gradus vero præstantiores, possideri titulo mercedis, ut refert Menassius *Fomo* 2. in eodem *Tractatu disp. 13. Sectione* 2. & *disp. 15. lectione etiam* 2. quæ Sententia licet minus probabilis sit, neque cum Sacris Litteris satis conveniat, quæ diserte docent non tantum gloriæ Incrementum, sed ipsam etiam gloriam ut mercedem operibus bonis reddi: tamen non est ab Ecclesia ulla censura iniusta.

His positis perspicuum erit totam controversiam de Meritis Iustorum facile componi posse, si hæretici bona fide agant, nec velut Ecclesiæ dogmata impugnent privatas quorundam Theologorum sententias: & sane moderatiores ex Reformatis non multum recedunt a doctrina Ecclesiæ Romanæ in Controversia de bonorum operum meritis. Synopsis enim puræ Theologiæ *disp. 34. thesi* 48. hæc de controversia sic habet: *Christus infidelium operibus pœnam injustitiam secundum legem ex Summo jure; fidelium vero operibus coronam Iustitiæ secundum Evangelium ex pacto gratuito retribuet, ut non minus suam Iustitiam fideli promissæ beatitudinis præstatione, quam misericordiam benignam ejus nunciatione patefaciat.* Rivetus in *Apologia art. 4.* asserit reddi operibus bonis in Christo factis coronam ex Iustitia non dignitatis & æquivalentiæ operis: sed ex Iustitia promissionis divinæ. Iustum enim est, ut faciat quod promisit, nec aliter facere potest. Dalleus in fide fundata *part. 3. cap. 8.* asserit Deum promississe vitam æternam bene sancteque viventibus; eundem hanc suam promissionem impleturum; & consequenter vitam æternam esse sequelam & retributionem operum bonorum; addit tamen iustum esse, Deum dare vitam his, qui crediderunt, non quod eam meriti sint; sed quia eam promisit.

Forbesius lib. 5. de *Iustificat. cap. 1.* ait, opera bona a Deo spectari in vitæ æternæ promissione, & rationem aliquam habere causæ efficientis suo modo; & ut Patres loqui solent sensu innoxio, merentis, nempe impetrantis, præsertim cum id quod redditur, mercedis nomine in Scripturis insigniatur. Et infra: Bellarminum laudat dicentem: datur vita æterna ex promissione laborantibus, quod est mercedis proprium; & non datur nisi filiis quod est proprium hæreditatis, ac proinde utriusque mercedis scilicet & hæreditatis conditionem habet. Mox subdit Forbesius: *Utinam hic stesisset Bellarminus, quando affirmat dari vitam æternam ex promissione laborantibus absque illo odio additamento, quod alibi cum suorum sædulum plurimè descendit de intrinseca operum condignitate ad præmium: de mercedis apta & vera appellatione pars facile inter partes conciliari possit: hæc ille, Bellarmini & aliorum sententiam de intrinseca operum condignitate ad*

Serry Tom. IV.

præmium Catholicæ Ecclesiæ sententiam, seu fidei doctrinam esse, falso supponens. Confessio Helvetica posterior, docet Deum bona operantibus amplam dare mercedem, quæ tamen non ad meritum hominis accipientis, sed ad bonitatem vel liberalitatem, & veritatem Dei promittentis atque dantis, referenda sit: qui cum nihil debeat cuiquam, promisit tamen se suis cultoribus fidelibus mercedem daturum, qui interim dat eis etiam ut ipsum colant; approbatque sententiam Sancti Augustini dicentis Deum coronare in nobis non merita nostra, sed dona sua, & proinde quidquid accipimus mercedis, gratiam quoque esse, & magis quidem gratiam, quam mercedem: quod quæ bona facimus per Deum magis quam per nos ipsos facimus.

Confessio Belgica *art. 24.* tradit opera a sincera fidei radice emanantia ideo demum bona & Deo grata esse, quia per illius gratiam sanctificantur. Confessio Anglicana *art. 12.* statuit, bona opera quæ sunt fructus fidei, & iustificatos sequuntur: quamquam peccata nostra explere, & divini iudicii severitatem ferre non possunt: Deo tamen grata esse & accepta in Christo: quæ ratione vero accepta sunt in Christo, nisi per Christum acceptentur ad præmium, & vi promissionis divinæ meritoria sint?

Ex his & pluribus aliis hæreticorum Testimoniis constat pterisque ex ipsis potius impugnare in controversia de bonorum operum meritis, privatorum Theologorum sententias, quam fidem Catholicam.

#### PRÆLECTIO VIII.

*Indulgentiæ quid sint? numus inest Ecclesiæ potestas eas conferendi, proponitur, demonstratur.*

**D**E Indulgentiis hodie sermonem habiturus; mihi nullus est animus in tam amplo argumento attingere universa, quæ difficultatem aliquam pariant: in immensum enim abiret, & viri de Cathedra memoriter disputantis modum profus excederet suscepta disputatio; Sed ea duntaxat delibabo, quæ ad Theologicum examen, & ad studiosæ juventutis informationem, sufficere videntur. Proponam itaque loco primo, quid sint Indulgentiæ. Secundo: num data sit Ecclesiæ potestas conferendi indulgentias. Primum paucis agam, alterum fufe lateque.

Indulgentia igitur aliud non est, quam Remissio pœnæ temporalis, quæ post remissionem peccatorum luenda superest, extra Sacramentum facta ab eo, qui spiritualem jurisdictionem habet cælestem Ecclesiæ thesaurum dispensandi. Exponamus singula.

Dicitur Remissio temporalis, ut videlicet distinguatur a culpa & pœna æterna, quæ nequeunt per Indulgentias relaxari. Dicitur, extra Sacramentum, ut ab ea pœnæ remissione distingui possit, quæ fit per Sacramentum Pœnitentiæ. Dicitur tandem ab eo, qui habet potestatem dispensandi thesaurum Ecclesiæ; ut significetur solos Romanos Ecclesiæ Pontifices & Episcopos esse Indulgentiarum administratos. Circa laudatum hunc Ecclesiæ thesaurum; paucis itidem exponamus, & quid sit hic thesaurus Ecclesiæ, qui fons Indulgentiarum reputatur; & quomodo ad hunc conflandum thesaurum merita B. Virginis, aliorumque Sanctorum concurrant.

Clemens VI. in *Extravag. Unigenitus rit. de Pœnit. & Remiss.* ait hunc Ecclesiæ thesaurum esse copiosum: *preiosus Sanguinis Christi profusorium . . . ad cuius quidem thesauri cumulum Beata Dei Genitrix*

S f f niri.

miris, omniumque electorum a primo iusto usque ad ultimum merita adminiculum prestare noscuntur: de cuius consumptione seu minutione non est aliquatenus formidandum, tam propter infinita Christi merita, quam pro eo, quod quanto plures ex eius applicatione erabuntur ad justitiam, tanto magis accrescit ipsorum cumulus meritorum. Quomodo vero concurrant merita B. Virginis aliorumque Sanctorum ad thesaurum Ecclesie conandum, quod secundo demonstrandum proposuimus, dissentiant inter sese Theologi. Nonnulli enim, quorum Sententia mihi semper arrisit, sentiunt, concurrere per modum suffragii & impetrationis, quantum preparent, & disponunt, ut Deus intuitu supplicantium pro nobis amicorum Christi merita nobis applicet; non vero per modum solutionis; Primo quia Advocati duntaxat sunt. Secundo: quia illorum superabundantia & redundantia passionum cumulatorii gloriae cumulo compensata est. Tertio, & quidem maxime ex ipsis Clementis Verbis: omnium electorum a primo iusto usque ad ultimum merita adminiculum prestare noscuntur.

His itaque ad liquidum perductis, ad id quod rei caput est, veniamus; & fidenterque asseramus, datam esse Ecclesie potestatem conferendi Indulgentias.

Id porro probare non est admodum operosum; tam si ex Sacris Literis expendatur, quam si ad Conciliorum, Patrum, veterumque Scripturum calculos redigatur.

Quid enim aliud innuunt ea Christi D. verba in Evangelio Matth. *quicumque solveris super terram, erunt soluta & in Cælo*; quam potestatem Ecclesie collatam eximendi peccatores ab iisdem penitentia laboribus, aut saltem eorum partem minuendi, in qua ut adæquata remissione, aut saltem imminutione virtus Indulgentiarum sita est?

Quid aliud intendit Apostolus 2. ad Corinth. 2. Iis de incestuoso Corinthio prolatis verbis: *Sufficit illi, qui ejusmodi est objurgatio hoc que fit a pluribus. Ita ut e contrario magis donetis, & consolemini, ne forte abundantiori tristitia absorbeat, qui ejusmodi est.* Quam iis penitentia laboribus eximendum esse Corinthium, qui ex injunctis supererant? quæ sane exemptio aliud non est, quam Indulgentiarum concessio, qua pena peccato quoad culpam debita relaxantur?

Crescit in immensum argumenti vis, ac pene in certam demonstrationem abit, si ea potestate a Christo D. accepta conferendi Indulgentias, superioribus sæculis Ecclesiam semper usam esse, demonstraverim.

Hac usus esse Martyres erga lapsos secundo Christiani nominis sæculo disertissimis verbis Tertullianus affirmat lib. 1. ad Martyres cap. 1. *Quin & multo disertius meminit factus Montanista lib. de Pudicit. cap. ult. dum eam Zephiri Pontifici cæterisque Catholicis crimini vertit: An tu (Tertulliani verba sunt) jam & in Martyres tuos affundis hanc potestatem, ut quisque ex confessione vincula induit adhuc mollia, in nova custodia nomine, statim ambiunt machi, statim ad eum fornicatores, jam pecces circumsolant. . . . Et pacem ab his querunt, qui de sua periclitantur. Ex quibus profecto verbis liquet, Tertullianum in Catholica Ecclesie vitio vertere, quod antea laudaverat; hoc est quod ad Martyrum petitionem relaxata lapsis penitentia pacem daret.*

Eandem Ecclesie potestatem eximendi lapsos ad preces libelloque Martyrum ab aliqua satisfactionis parte, tertio christiani nominis sæculo frequentatam fuisse, pluribus in locis declarat Cyprianus; Alloquens enim Martyres Epist. 11. hæc habet:

*Cum vos ad me literas direxeritis, quibus examini desideria vestra, & quibusdam lapsis pacem dari postulastis, cum perfectione finita convenire in unum cum Clero, & recolligi ceperimus. Illi contra &c. Quin & eadem Epist. consilium dat Martyribus prudentissimum ut antequam lapsis Indulgentia beneficium polliceantur, eorundem personarum & crimina diligenter attendant; & ut eos nominatim in libellis suis exprimant, qui eximi aliquibus penitentia laboribus peroptant.*

Addiderim etiam in hujus nostre propositionis confirmationem responsum quorundam Gallorum Diocesis Bellovacensis, datum interrogationi sibi factæ a Romanis, quod legere est in celebri Historia Jubilei promulgati a Bonifacio VIII. Pontifice Anno 1300. a Cardinali a S. Georgio conscripta. Scificantiis Romanis, quid causæ fuerit, cur Anno 1300., qui Sanctus dicebatur, tot ex omnibus orbis partibus peregrini Romam confluxissent? En quod citati Galli dederunt responsum; quod nimirum hi vetustissima Majorum suorum traditione docti essent, eos plenariam Indulgentiam consequuturos, qui centesimo quoquo Anno Romæ Apostolorum limina inviserent. Adeo verum est, indubitatumque, Ecclesiam hac potestate relaxandi vel minuendi peccatoribus aliquam satisfactionis partem omni retro ætate usam fuisse.

Facite tandem, ut & eandem Ecclesie potestatem concedendi Indulgentias Sacrorum Conciliorum posterioribus Ecclesie sæculis celebratum, auctoritate roboremus.

Præsto est Synodus Ancyrana anno 314. habita, quæ hanc inesse Episcopis potestatem nonnulli de injuncta lapsis penitentia relaxandi, declarat his verbis Can. 5. *Episcopum autem hanc habere licentiam, oportet, ut perfecta singulorum conversatione, normam regulamque conversationis attribuat: id est aut humanitas agens secundum vitæ modum, tempus alicui penitentia breviet, aut etiam prolixius quod correctione necessarium viderit, addat. Discutiat autem omnium horum, & precedens vita & posterior: & ita circa eos Sacerdotalis se humanitas moderetur.*

Id ipsum non longo temporis intervallo confirmavit Concilium Nicænum I. habitum anno 315. Can. 12. posse scilicet Episcopos pro variis circumstantiis aliquid de injuncta satisfactione minuire: *quotquot enim metu & lachrymis, atque patientia, vel bonis operibus, rebus ipsi conversionem suam, non simulatione demonstrant: hi demum tempus auditionis implentes, tum demum fidelibus in oratione communicant: postmodum vero licebit Episcopo de his aliquid humanius cogitare.*

Exstat ea de re disertissimum Concilii I. Lateranensis edictum Anno 1122. Præside Calixto II. Pontifice, quo adequatam canonicæ satisfactionis relaxationem iis omnibus indulgit, qui Hierosolymam proficiscerentur, & ad Christianæ Religionis omniumque fidelium defensionem auxilium præberent; quam & pro expeditione Hispanica contra Mauras prorogavit. Eis (Concilii verba sunt Can. 11.) *qui Hierosolymam proficiscuntur, & ad Christianam gentem defendendam, & tyrannidem infidelium debellandam efficaciter auxilium præbuerint, suorum peccatorum remissionem concedimus, & domos & familias atque omnia bona eorum in B. Petri & Romane Ecclesie protectione sicut a D. N. Papa Urbano statutum fuit, suscipimus. . . . Has postmodum confirmant & Eugenius III. in Epist. ad Ludovicum Francie Regem; & Clemens III. Epist. ad Hubertum Cantuariensem, ut hujusmodi expeditiones in corda fidelium promoverent.*

Iis non dissimilem relaxationem indulgit & Concilium Claromontanum anno 1096. Præside Urbano

bano II. qui expeditionem bellicam in Terram Sanctam contra Saracenos aggredere: quicumque pro sola devotione non pro honoris, vel pecunie ademptione, & ad liberandam Ecclesiam Dei Hierosolam profectus fuerit, iter illud pro omni Penitentia repetur.

Possem hic alia longe multa Sacrorum Conciliorum Ravenatis, Avenionensis, Biterrensis, Vavrentis, Narbonensis, Colonienfis, Pisani statuta decretaque sylabatis referre, quibus Indulgentia pro variis pietatis operibus conceduntur. Sed quid opus est multis? omnium instar præsto sit nobis Concilium Tridentinum sexto decimo verente sæculo habitum, quod verbis omnium disertissimis præcipit in Decreto de Indulgentiis Sess. 25. *Usum Indulgentiarum adeo fidelibus salutarem, sacrorumque Conciliorum auctoritate probatum, retinendum esse in Ecclesia; eosque anathemate damnat, qui Indulgentias, aut inutiles asserant; aut nullam Ecclesie inesse potestatem eas concedendi, temere dixerint.*

## PRÆLECTIO IX.

*Indulgentiarum utilitas in quo posita sit; justam & legitimam causam in iis conferendis præquiri, asseritur, demonstratur.*

**P**roposita Tractationi de Indulgentiis finem impositum, duo remanent ad institutum coronidem expendenda. Primo: in quo Indulgentiarum utilitas sita sit? Secundo: num in his conferendis justa & legitima causa requiratur? Quæ duo ubi Scripturarum, Conciliorum, & Patrum momenta dederimus, æqua facilitate, si Deus dederit, expediemus. Ordiamur a prima.

Indulgentiarum utilitas in eo sita est, quod Indulgentia non solum in foro Ecclesie ad penam canonicam remissionem, sed etiam in iudicio Dei plurimum valent ad penas futuri sæculi remittendas.

Asserio hæc nostra usque adeo, meo quidem iudicio, certa est, ut citra summam audaciam in dubium verti nequeat, utpote momentorum omnium exceptione majorum suffragio communita.

Quid enim aliud sonat illud Apostoli 2. ad Corinth. 2. scribentis, incestuoso Corinthio se donasse, hoc est, penam ejus criminis debitam condonasse propter ipsos in persona Christi: quam eam condonationem in iudicio Dei valere, perinde ac si Christus Pater futuri sæculi, & Pontifex futurorum bonorum condonasset?

Quid illud quod legitur Matth. 18. *quicumque solveris super terram, soluta erunt & in cælo.* Quam fructum Indulgentiarum ad futurum sæculum pertinere?

Accedit & ratio, meo quidem iudicio, efficacissima, & a D. Thoma insinuata in 4. Sent. dist. 20. quest. 1. art. 3. questione 2. Si debitum penarum temporalis in futuro sæculo subeunda per Indulgentias remitti non posset, Ecclesia hujusmodi Indulgentias concedendo, Christianos magis damnificaret; quam adjuvaret, quod nefas est dicere, quia condonatis in hoc sæculo penis satisfactoriis, ad graviores longe penas in Purgatorio subeundas remitteret. Unde Archiepiscopus Toletanus hanc inter alias Petri Oxomensis propositionem prescripsit: *Romanum Pontificem Purgatorii penam remittere non posse.* Quam deinde ut erroneam, scandalosam, a fidei veritate alienam, ac manifestam hæresim continentem Sixtus IV. damnavit in Const. que incipit licet ea. Quin & inter Articulos Lutheri a Leone X. tanquam hæreticos, scandalosos, falsos, veritati Catholicae obviantes, damnatos, hic legitur. *Indulgentiæ, his qui veraciter eas con-*

*sequuntur, non valent ad remissionem penarum pro peccatis actualibus debite apud divinam justitiam.*

Reponet forte nonnemo: Obfunt potius Indulgentia, quam profunt; quia valent tantum ad dimissionem penarum temporalis in Purgatorio subeunda; alia vero opera satisfactoria, a quibus homines per Indulgentias dispensantur, valent nedum ad dimissionem penarum in Purgatorio sustinenda, sed etiam ad augmentum premii essentialis, hoc est, ad augendos gloriae gradus.

At unde habent, viri boni, ab operibus satisfactoriis per Indulgentias homines dispensari, si Conciliorum & Patrum firma mens est, ad plenariam Indulgentiam etiam Jubilei consequendam totis viribus fideles nitendos esse, ut congruis & diuturnis laboribus divinæ justitiæ satisficiant?

Id certe in causa fuit, cur Sacrosancta Nicæna Synodus statuit Can. 12. ut iis tantum Indulgentia ab Episcopis concedatur, qui in implenda penitentia ferventem maximum præstulerint, non qui negligenter se gefissent. Quotquot (Synodi verba sunt) metu & lachrymis atque patientia, vel bonis operibus, rebus ipsi conversionem suam, non simulatione demonstrant; hi definitum tempus auditionis implentes, tum demum fidelibus in oratione communicant: postmodum vero licebit Episcopo de his aliquid humanius cogitare. Quicumque vero indifferenter tulerint, & aditum introeundi Ecclesiam sibi arbitrati sunt ad conversionem posse sufficere; hi definitum modis omnibus tempus impleant. Idcirco & Concilium Saleguntadiense Can. 18. Indulgentias iis minime profuras declaravit, qui, ut penis satisfactoriis a Confessario, aut ab Episcopo imponendis pro peccatis suis, se liberarent; Romam proficiscerentur plenam a Pontifice Indulgentiam impetraturi: Quia multi (audite verba) tanta mentis sue salluntur stultitia, ut in aliquo capitali crimine inculpato Penitentiam a Sacerdotibus suis accipere nolint, in hoc maxime confisi, ut Romam evadentes Apostolicis omnia sibi peccata dimittat: Sancto visum est Concilio, ut talis Indulgentia illis non proficit, sed prius juxta modum delicti Penitentiam sibi datam a suis Sacerdotibus adimplerent: & tunc Romam si volint ire, ab Episcopo proprio licentiam, & literas ad Apostolicum ex eisdem rebus deferendas accipiant.

Iisdem doctrinæ principiis informatus Gregorius VII. Lincolnienfis Episcopo peccatorum Indulgentiam roganti ea lege concessit, ut penitentiam pro viribus ageret. Absolutionem præterea (inquit) peccatorum tuorum, sicut rogasti, auctoritate Principum Apostolorum Petri & Pauli sulsi, quorum vice quamvis indigni fungimur, tibi mittere dignum duximus: si tamen bonis operibus inherendo, commissos excessus plangendo quantum valueris, corporis tui habitaculum Deo mundum templum exhibueris.

Hinc Joannes Hesselius Academia Lovanienfis Professor, quique Concilio Tridentino interfuit part. 2. Catechismi ubi hoc ipsum ex instituto pertractat argumentum, hæc habet: *Non est putandum, ut quidam docent, quod quicumque Indulgentiarum particeps fuerit, si statim moreretur absque ulla pena continuo ad cæli gaudia transturus sit. Multum oportet pro peccato peniteat, & valde pio perfectaque participet Indulgentias, cui hoc contingit. Et revera si ad hoc, ut Plenarias Indulgentias acciperent, sufficeret eos esse in statu gratiæ; plurimum evacuaretur studium penitentia & satisfactionis; nec vellent homines ullam subire Penitentiam, si putarent se aliquam Plenarias Indulgentias, & totius præterita penarum condonationem esse accepturos.*

Jam vero quod ad alteram præsentis argumentationis partem attinet, justam scilicet & legitimam causam præquiri in conferendis Indulgentiis, est æque facilis probationis, si pariter Script.

prutarum, Conciliorum, Patrum, veterumque Scriptorum momenta paulisper attendantur.

Ac primo quidem: Certe neque Pontifices, neque Episcopi sunt domini, sed tantum dispensatores communis Ecclesie thesauri: *Sic nos existimet homo, (ait Paulus) ut dispensatores mysteriorum Dei.* Sed si poenam, inquit ego, iusta de causa exigeret Dominus; an non irrita foret dispensatio sine ulla legitima causa a ministro facta? exigeret porro Dominum Deum poenam peccato quoad culpam dimisso debitam, docet disertissimi verbis Synodus Tridentina *Sess. 14. cap. 8. Sane & divina iustitia vario exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante baptismum per ignorantiam deliquerint; aliter vero qui scilicet a peccati & demonis servitute liberati, scienter templum Dei violare, & Spiritum S. contristare non formidaverint.* Quid ni quoque dicamus; si hoc pacto Pontifices, & Episcopi dispensarent; huiusmodi dispensatio absque iusta & legitima causa facta, dissipatio potius esset, quam dispensatio, cum hęc ex eo tantum differat a dissipatio, quod dissipatio temere tantum, irrationabiliter & sine legitima causa fit. Et eni cur *Can. 62.* Indulgentias sine iusta causa concessas *indiferetas ac superfluas* appellat Concilium Lateranense IV. cur itidem Clemens VI. in *Extravag.* Unigenitus clare aperteque declarat, ea conditione fuisse Petro, eiusque Successoribus thesaurum Ecclesie conceditum, ut eum propriis rationabilibusque causis dispensent.

Si quis hic quæreret, quæ causa iusta ac legitima censeri debeat conferendi Indulgentias? Uno verbo respondeam; censendum esse temporale subsidium ad Spiritualia ordinatum, uti docet, & productis rationibus & exemplis probat S. Thomas in *4. Sentent. dist. 20. quest. 2. art. 3. quest. 3. Temporalia, inquit, ad spiritualia ordinantur, quia propter spiritualia temporalibus uti debemus:* & ideo pro temporalibus simpliciter non potest fieri Indulgentia, sed pro temporalibus ordinatis ad spiritualia; sicut vepressio inimicorum Ecclesie, qui pacem Ecclesie perturbant; vel sicut constructio Ecclesiarum, & pontium, & aliarum elemosynarum collatio. Nec fit tibi Simonia; quia non datur spirituale pro temporalibus, sed pro spiritualibus.

Illud tamen notandum velim; quod quantumcumque censetur iusta Indulgentiarum causa, nil homini prodest in peccato existenti. Primo: quia Indulgentias non concedit Ecclesia nisi contritis & confessis, ut legere est in Pontificiis Diplomati- bus. Secundo: quia dimissio poenae illi fieri nequit, cui non est culpa dimissa; qui enim non est consecutus operationem Dei in remissione culpæ, non potest consequi remissionem poenæ a Ministro Ecclesie, neque in Indulgentiis, neque in Foro penitentiali, ait S. Thomas in *4. Sent. dist. 20. quest. 1. art. 5. quest. 1.* Tertio: quia cui non est dimissa æterna poena, nec temporalis dimitti potest.

## PRÆLECTIO X.

*Jubilæi vox undò sumpta; Jubilæum primum solemniter institutum a Bonifacio VIII. Pontifice, & centum annorum spatium definitum; a Clemente VI. ad quinquaginta annos redactum; ab Urbano VI. ad 33. assertum, explicatur.*

**D**E celeberrima præ cæteris Indulgentia, quæ Jubilæum appellatur, hodierna Prælectione dicturus nonnulla duntaxat notata digna in medium afferemus, quæ cum ad studiosæ juvenutis informationem necessaria videantur, præteriri a me nec possunt, nec debent.

Jubilæum itaque fuit analogia quadam ad normam Jubilæi Moisaicæ legis, de quo passim legitur *cap. 25. & 27. Levit.* institutum. Unde tamen vox hæc derivata fit; haud ita facile definitur. Alii enim volunt, vocabulum hoc desumptum esse a voce *Jabal* qui arietem significat; quandoquidem Jubilæum apud Judæos clangore tubæ seu cornu arietis promulgabatur.

Alii, quorum princeps est S. Hieronymus, volunt derivatum esse a voce *Jabal*, quæ dimissionem sive dimissionem sonat; Jubilæus ideo remissionis annus, inquit Sanctissimus Doctor in *cap. 3. Isaie.* R. Moses Maimonides tradidit quidem hanc vocem derivatam a verbo *Jabal*, non quatenus significat dimissionem, sed adducere; eo quod hoc anno Judæorum quilibet adducebatur ad possessionem, & ad familiam suam. Josephus Flavius *lib. 3. antiquit. Judaic.* docet Jubilæi nomine denotari libertatem; quandoquidem eo anno Judæi ab omni opere vacabant; bona dividenda suis primis Dominis restituebant; servos libertate donabant.

Quæcumque tamen sint laudatæ hæc usque hujusce vocis significationes; video harum quamlibet optime coherere cum iis, quæ lex de Jubilæo tradit *Levit. 25. Clanges bucina mense septimo, decima die mensis, propitiationis tempore in universa terra vestra. Sanctificabitis annum quinquagesimum & vocabitis remissionem cunctis habitatoribus terræ tuæ: ipse enim Jubilæus. Revertietur homo ad possessionem suam, & unusquisque rediet ad familiam pristinam: quia Jubilæus est, & quinquagesimus annus. Non ferietis, neque metetis sponte in agro nascencia. Si pauper campulus vendiderit sibi frater tuus, non erit opprimis servitute famulorum, sed quasi mercenarius, & colonus erit: usque ad annum Jubilæum operabitur apud te, & postea egredietur cum liberis suis, & revertetur ad cognationem, & ad possessionem patrum suorum.*

Hunc Christianorum Jubilæum expleto sæculo 12. anno scilicet 1300. Summus Ecclesie Pontifex Bonifacius VIII. centesimo quoquo anno celebrandum decrevit; quem postmodum Clemens VI. anno 1350. ad annum quinquagesimum reduxit; eo quod pauci sint, qui vitam usque ad finem sæculi producant. Hanc Clementis Constitutionem, etsi ab Urbano VI. anno 1389. sancitum fuerit, concedendum esse Jubilæum quolibet recurrente anno 33. in memoria annorum 33. quos vulgo creditur Christum egisse in terris viguisse legitimum anno 1400. sub Bonifacio IX.; tum anno 1450. sub Nicolao V. usque ad Paulum II. qui tandem anno 1470. Jubilæum ad annum 25. reduxit; quam legem confirmavit Sixtus IV. anno 1473. & etiamnum frequentat Ecclesia.

Hic tamen notandum velim; quod Jubilæum præter poenæ temporalis relaxationem, quæ & aliis quibuscumque Indulgentiis propria est, in hoc tamen cæteras omnes potissimum antecedit. Primo: quod toto recurrente tempore Jubilæi quilibet Confessarius ex approbatis potest a peccatis etiam reservatis & censuris absolvere. Secundo: quod omnia vota, solo excepto voto religionis & perpetuæ castitatis, possunt in alia opera commutari. Tertio: quia tempore Jubilæi Religiosis, & Monialibus facultas facta est eligendi Confessarium etiam extra suam Ordinem; Sed id ex jure novo; cum olim contrarium Clemens VIII. declaraverit lato Decreto, quod incipit *ad perpetuam rei memoriam;* cujus mentionem ingentibus Barbosæ *lib. de Officio, & Potestate Episcopi Allegatione 25. §. 64.* Idque semel duntaxat & ad effectum consequendi Indulgentiam Jubilæi.

Hic itidem ad promissidem notandum velim ad majorem studiosæ juvenutis informationem. Pri- mo

mo quod: Jubilæum cum pluribus hebdomadibus daret, semel tantum potest obtineri; Hæc regula aperte colligitur, tum ex Pontificiis Diplomati- bus; tum ex S. Thoma in *4. Sent. dist. 20. quest. 1. art. 3. quest. 2. ad 4. quodcumque (ait) Indulgentia ad determinatum tempus datur; ut cum dicitur, quicumque vadit ad Ecclesiam talem usque ad tale tempus, habeat tantum de Indulgentia; intelligitur semel tantum, sed si in aliqua Ecclesia sit Indulgentia perennis, sicut in Ecclesia Beati Petri quadraginta dierum, tunc quoties vadit aliquis, toties Indulgentiam consequitur. Nihilo tamen minus laudanda est potius, quam contemenda piorum fidelium consuetudo, qui puta præscripta jejunia una & altera hebdomade observarent, Ecclesie Stationibus destinatas adirent, preces funderent, peccata confiterentur, & Sacram Eucharistiam perciperent; cum id ad peniorem satisfactionem majusque meritum obtinendum proficit, ut tradit Bonifacius VIII. in *Extravag. Antiquorum extra de Penit. & Remiss.* his verbis: *Unusquisque tamen plus merebitur & Indulgentiam efficacius consequetur, qui Basilicas ipsas amplius & devotius frequentabit.* Secundo: Tantam consequitur Indulgentiam ille, qui sit viciniam Ecclesie, quæ visitanda est, quam qui ad eandem e locis remotioribus accederet; rationem assignat S. Thomas in *4. Sent. dist. 20. quest. 1. art. 3. quest. 3. sol. 2. ad 4. quia remissio non proportionatur labori, sed meritis, quæ dispensantur: sed ille qui plus laboraret plus de merito acquireret.* Tertio: notandum venit, neminem posse in alterum etiam mortuum Jubilæum ad Indulgentiam transferre, ut liquet ex S. Thoma in *4. Sent. dist. 20. quest. 1. art. 5. quest. 3. ad 2. cujus verba recitare non pigebit. Opus proprium potest quis applicare per intentionem cuiuscumque valoris; & ideo potest pro quocumque valeat satisfacere: sed Indulgentia non potest applicari ad aliquem, nisi ex intentione ejus, qui dat Indulgentiam: & ideo cum ipse applicat ad facientem, vel dantem (hic autem illud non potest) ille, qui hoc facit, ad alterum hanc intentionem transferre non potest. Si tamen fieret sic Indulgentia, Ille qui facit, vel pro quo hoc fit, habeat tantam Indulgentiam, valeret ei, pro quo sit: nec tunc iste, qui facit hoc opus, daret alteri Indulgentiam, sed ille, qui Indulgentiam sub tali forma facit.**

## PRÆLECTIO XI.

*Quid sit Censura, & num in sit Ecclesia potestas easdem ferendi proponitur, explicatur; quinam potestate ordinaria Censuras ferre possint, demonstratur.*

**C**UM Censurarum notitia sacris Penitentiis Administris utut maxime necessaria videatur, ne in sacro obundo Ministerio potestatis suæ limites transgrediantur; ea ratio induxit, ut nonnihil etiam de censuris attingamus. Sed quantum hoc de argumento cumulate factis tractant, quotquot in Scholis canonicis disputationem instituunt; Idcirco nos opere pretium duximus, ut totam hujusce materię amplitudinem ad tria summa capita revocemus, in quorum primo investigabimus, quid fit censura? Secundo num in sit Ecclesie potestas easdem ferendi? Tertio: quinam potestate ordinaria eas ferre possint? Ordinarum a primo.

Censura igitur, spiritualis poena est, a potestate Ecclesiastica infligta, privans baptizatum fidelem usque aliquorum spiritualium honorum, propter animæ salutem. Dicitur poena spiritualis, quia vinculum est respiciens animam. Dicitur a potestate Eccle-

siastica infligta, qui potestas ligandi, solvendi quæ animas solis Apostolis, eorumque successoribus a Christo D. data est. Dicitur privans hominem baptizatum; quia non baptizati cum non sint subditi Ecclesie, proindeque illius censuris subjacere minime possunt. Dicitur usque aliquorum honorum spiritualium; tum quod a poenis civilibus distinguitur, quæ rebus duntaxat temporalibus privant; tum quod censura non privat hominem omnibus bonis spiritualibus, sed iis tantum, quæ Ecclesie dispensationi concedita sunt; puta participatione Sacramentorum, functione munerum Ecclesiasticorum, aliisque id generis multis. Dicitur ultimo propter animæ salutem, quia Censura Ecclesiastica poena medicinalis est, nedum ut puniantur peccata; sed ut etiam peccatores ad poenitentiam redigantur, ut liquet in *cap. ex Literis extra de Constit. cap. de quod vult Deo.*

Hic igitur explicatis statim ad id quod rei caput est, veniamus; citraque dubium proponamus, datam esse Ecclesie potestatem a Christo D. ferendi censuras. Id liquet maxime ex Scripturæ locis, non uno, & altero, sed longe pluribus. *Amen dico vobis,* ait Christus *Matt. 18. quicumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in Cælis; & quicumque solveritis super terram, erunt soluta & in Cælo;* quod sane colloquium non aliud voluit Christus innuere, quam quos Ecclesia vel a Sacramentorum participatione, vel a cætu fidelium excludit, vere excludit coram Deo.

Liquet secundo ex Apostolo Paulo, qui ut legitur *1. ad Corinth. 1. a divinorum participatione Corinthi quæ incestuosum excludit, & Hymeneum propter impia hinc inde vulgata dogmata anathematizavit, & ab omni fidelium consortio segregavit.*

Eandem potestatem, quam usque modo exercitam ab Apostolis demonstravimus, continuatis temporibus viguisse in Ecclesia, & etiamnum hodie frequentari, Ecclesie Patrum, sumorumque Scriptorum evincit auctoritas. Horum chorus dicit S. Hieronymus *Epist. 1. ad Heliodorum ubi hæc habet: In Veteri quidem Lege quicumque Sacerdotibus non obtemperasset, aut extra castra positus lapidabatur a Populo, aut gladio ceruice subijebat, contemptum expiabat cruore. Nunc vero inobediens spirituali mucrone truncatur, aut effectus de Ecclesia rabi- dum Demonum ore discipitur.*

Succinit Hieronymo Tertullianus in *cap. 38. Apologicti,* hoc pacto Sacros Christianorum conventus describens. *Ibidem etiam exhortationes, castigationes, & censura divina. Nam, & judicatur magno cum pondere, ut apud certos de Dei conspectu, summumque futuri judicii præjudicium est, si quis deliquerit, ut a communicatione orationis, & conventus, & omnis Sancti commercii relogetur.*

Ad stipulam tandem Augustinus *lib. de Fide & Operibus cap. 11.* ubi productis etiam Scriptorum exemplis docet, idcirco pravos homines multum non esse ab Ecclesia tolerandos, ne disciplina veritas hoc pacto solveretur. Neque enim, ait, quia illam primi populi permissioem Moyses Dei famulus patientissime perseverabat, ideo in multis etiam gladio vindicavit. Et Phinees Sacerdos adulteros simul inventos ferro ultor confudit. Quod atque Degradationibus, & Excommunicationibus significatum est, esse faciendum hoc tempore, cum in Ecclesia disciplina visibilis fuerat gladius cessaturus. Neque his repugnare censendus est Augustinus *Serm. 16. de Verbis Domini, cap. 4.* ubi hæc habet: *cepisti habere fratrem tuum tanquam Publicanum, ligas illum in terra, sed ut iuste alliges, vido. Nam iniuste vincula dirumpit iustitia. Cum autem correxeris, & concordaveris cum fratre tuo solvisti illum in terra. Cum solveris in terra, solutus erit & in Cælo.* Quæ si quod

si quod Sanctissimus Doctor ea loquendi formula, ligandi solvendique potestatem, ne dum ab Ecclesia, verum etiam ab omnibus indistincte Christianis exerceri posse iudicaverit.

Perperam id, & iniuria. Augustinus enim eo loci eam ligandi potestatem indistincte ad Christianos omnes extendit, non secundum proprium ac litteralem verborum sensum, quatenus potestatem retinendi & remittendi peccata; infligendi & absolvendi a censuris significet; sed morali quodam sensu & ad fraternam correctionem spectante; Hanc unam Augustini mentem fuisse constat lib. 20. de Civit. Dei, ubi exponens illud Apocalypsis 20. Et vidi sedes, & sedentes super eas, & iudicium datum est, eam ligandi solvendique potestatem solis Ecclesiae Praepositis convenire, citra dubium affirmat: Non hoc (inquit) putandum est de ultimo iudicio dici: sed Sedes Praepositorum, & ipsi Praepositi intelligendi sunt, per quos Ecclesia nunc gubernatur. Iudicium autem datum nullum melius accipiendum videtur, quam id, quod dictum est, quae ligaveritis in terra, ligata erunt & in Caelo, & quae solveritis in terra, soluta erunt, & in Caelo. Unde Apostolus: Quid enim mihi est, inquit, de his, qui foris sunt iudicari? Nonne de his, qui intus sunt iudicatis?

Accedit ad latatum haecenus Sententiae nostrae probationum cumulum, quod & Ecclesia contra catholicae huiusce veritatis hostes pronuntiavit: Concilium Constantiense inter alios longe plures Joannis Wicleffii errores cum legitime condemnasse, quo sustinebat, nullum Praelatum debere aliquem excommunicare, nisi prius sciret, a Deo excommunicatum fuisse; ferique ipso facto haereticum, & excommunicatum, qui secus faceret. Legimus itidem inter alios multos errores Joannis Hus; hunc ab Ecclesia proscriptum, quo probare se posse putabat, Clerum per Censuras Ecclesiasticas Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti, ad sui exaltationem populum laicalem sibi suppeditare, avaritiam, multiplicare, multam protegere, & viam Antichristi preparare; quinimo legitimus Martinus V. redeuntes ad Ecclesiam Hussitas interrogari iussit, num crederent, inesse Pontifici, vel aliis Praelatis, eorumque Vicariis potestatem, Sacerdotes, Laicos inobedientes & contumaces excommunicandi; ab Officio, Beneficio, ingressu Ecclesiae, & Sacramentorum administratione suspendendi.

Quinam vero habeant potestatem ordinariam ferendi censuras, quae tertia huiusce Tractationis pars est, facile resolvi potest, si videlicet distinguatur, aliam esse potestatem infligendi, aliam esse potestatem ferendi censuras. Prima stat penes Concilia Generalia & Romanum Pontificem ratione universalis jurisdictionis, quam habent in Ecclesia. Secunda stat penes Patriarchas, Archiepiscopos iure divino propter eam, quam dedit iis Christus D. potestatem regendi Ecclesiam Dei.

Habent etiam potestatem ferendi censuras Vicarii Generales, Capitula Sede vacante, Vicarii Capitulares, Regulares Praelati, aliique huiusmodi; an tamen eorum potestas dici debeat ordinaria, vel delegata? Uno verbo reponam, esse ordinariam in hoc sensu, quia ex vi propriae dignitatis & officii eis competit: non vero hoc sensu, quod eius potestatis origo a Christo sit. Unde hoc discrimen intercedit inter Episcopos, & reliquos, quod illi eam auctoritatem habeant ex iure divino, isti ex iure humano. Certe quod hi hanc potestatem duntaxat habeant ex iure humano, ex duplici capite constat. Primo: quia de iis nihil legitur factis in Litteris. Secundo: quia si iuris divini esset, uniformis esset ubique.

Notandum tamen, hanc potestatem mulieribus conferendam non esse. Primo: quia mulier est incapax jurisdictionis ad Claves Ecclesiae pertinentis, praeterquam quae valeat ad sententiam ferendam. Hinc Paulus 1. ad Corinth. 14. Mulieres in Ecclesia taceant, non enim permittitur eis loqui, sicut & lex dicit: si quid autem voluit discernere, domi suos viros interrogant: turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia. Multo vero disertius 1. ad Timoth. 2. Doceve autem mulieri non permittitur, neque dominari in virum, sed esse in silentio. Secundo: quia in cap. de Monialibus de Senr. Excommunicat. expresse habetur, non posse Abbatissas subditas sibi a censura, si quam forte contraxerint, absolvere: ergo nec in eas censuras ferre, cum a censuris absolvi possit, qui habet easdem ferendi potestatem; ut aperte colligitur Can. Si Episcopus Causa 11. quest. 3.

Scrupulus nihilominus venit hic obiter extimendus, ne qua forte nubecula positam in tanto lumine veritatem obnubilet. In Capite Dilecta; de Majoritate & obedientia legere est, Abbatissam de Brubrige solitam fuisse ab Officio & Beneficio Canonicas suas & Clericos suae jurisdictioni subiectos propter inobedientias, & eorum culpas suspendere, Summamque Ecclesiae Pontificem Honorium III. scripsisse Abbati a S. Michaeli Abbatensi, ut ad praestandam Abbatissae debitam reverentiam dictas Canonicas, & Clericos Ecclesiasticas etiam censura compellat. Dilecta in Christo filia (Pontificis verba sunt in laudato Cap. dilecta; de Majoritate, & obedientia) Abbatissa de Brubrige transmissa nobis petitione monstravit, quod cum ipsa plerumque Canonicas suas, & Clericos suae jurisdictionis subiectos propter inobedientias, & culpas eorum, officio beneficioque suspendat, iudem confitetur ex eo, quod eadem Abbatissa eos excommunicare non potest, suspensionem huiusmodi non observant, propter quod ipsorum excessus remanent incorrecti. Quocirca mandamus quatenus dictas Canonicas, & Clericos, ut Abbatissa Praelata obedientiam & reverentiam debitam impendentes eius salutaria monita, & mandata observent, Ecclesiasticas censuras compellat. (a) Ex quibus profecto verbis evincitur, ne dum habuisse Abbatissam potestatem suspendendi, sed etiam hanc ut maxime ei Pontificem confirmasse.

Scrupulus tamen iste uno statu dissolvitur, si videlicet observetur, eam suspensionem ab Abbatissa de Brubrige fieri solitam, censuram vero non fuisse, sed prohibitionem quandam, vel privationem, quae lato modo suspensio dicitur. Unde huic tantum prohibitioni seu privationi praestandum esse a Canonicis & Clericis suae jurisdictioni subiectis obedientiam & reverentiam iussit Honorius, non censuris ab ea latis, cum nullam prorsus in illa easdem ferendi potestatem agnovisset. Id evidenter colligitur ex supralaudato Capite Dilecta, ubi prohibendi, privandique auctoritatem Abbatissae confirmat, compellendi tamen per Ecclesiasticam censuram, soli mandat Episcopo.

## P R A E L E C T I O XII.

Causa propter quas nulla vel injusta Censura fieri potest, declarantur.

Quid sit Censura sat bene in antedictis protulimus; stare penes Ecclesiam easdem ferendi potestatem, citra dubium pronuntiavimus; quibusnam tandem eadem in sit potestas, singulatim ostendimus; paucis nunc pro instituti coronide superest exponendum, quibus de

de causis nulla vel injusta Censura sit. Hoc igitur principii loco statim ponendum est nobis, triplici ex capite nullam vel injustam censuram esse. Primo: ex defectu debitum conditionum in Iudice. Secundo: ex defectu causae legitimae. Tertio: ex defectu ordinis ad substantiam iudicii pertinentis. De singulis differamus ex ordine.

Ex parte Iudicis (nam de non Iudice non est hic sermo) multa requiruntur, ad hoc ut Censura valida & iusta esse possit. Requiritur primo: ut eius auctoritas non sit impedita; hinc censura lata tum ab Episcopo excommunicato, aut suspensio; tum etiam ab intruso, qui puta absque canonica institutione Episcopalem dignitatem obtinuerit, nulla est, ut liquet ex Can. Alienationes, Causa 12. quest. 1. Requiritur secundo, ut huiusmodi auctoritas exerceatur intra jurisdictionis limites; proindeque censura extra proprium Territorium, aut Diocesim, aut in loco exempto lata, irrita & nulla est. Quo circa hic maxime notandum velim, Censuram bifariam fieri posse ab Episcopis; Primo per modum Statuti; Secundo per modum Sententiae. Prior Censura non ligat subditos extra Diocesim commorantes; ut expresse habetur in Cap. Ut animarum vit. de Constitucionibus in Sexto; quod tamen secus est, si Statutum factum fuerit ad castigandam absentiam; cuius ratio est, quia peccata omissionis ibi committi praesumuntur, ubi actus praescriptus exercendus erat. Posterior vero, nempe censura lata per modum sententiae, ligat etiam subditos in aliena Diocesi existentes; ratio in promptu est; quia Statutum respicit territorium; Sententia vero respicit personam, quae semper remanet subdita ratione delicti. Tertio requiritur, ut eius auctoritas non sit ligata per legitimam appellationem; quia ut ait Innocentius III. cap. Pastoralis, extra de Sent. Excommunicat. Per appellationem interpositam Excommunicatis videtur iudicio dormitasse; ut etiam liquet ex Celestini III. responso in cap. praeterea, extra de Appellationibus. Debet autem haec appellatio fieri ex Causa probabili, sufficiente, expressa, & coram Iudice probanda, si sententia sit interlocutoria; hoc est, quae non definit controversiam, sed aliquid obiter ad causam pertinentem decernit.

Si vero Sententia sit peremptoria, simplex Appellatio sufficit, etiam non expressa causa, ut docent Canonistae fere omnes. Debet insuper fieri debito tempore, hoc est intra 10. dies a lata sententia computandos, ut a iure praescriptum legitimus cap. quo ad consultationem, extra de Senr. & de re iudicata. Quarto: requiritur, ut auctoritas exerceatur in alium, non in semetipsum; eundem enim esse non posse & Actorem & Iudicem, regula iuris est. Excipitur tamen casus propriae defensionis, in quo Iudex censuram fert in eum, qui sibi vim inferit; uti approbantur Pontifices quotquot hanc difficultatem vel obiter attingerunt.

Nulla & irrita Censura est defectu Causae legitimae; puta si feratur in eum, qui reus nullius criminis est; vel qui levem culpam commiserit; ut aperte colligitur ex Can. Nullus Sacerdotum qui ex Canone 2. Concilii IV. Aurelianensis desumptus est, ubi haec habentur. Nullus Sacerdotum quamquam recta fidei hominem pro parvis & levibus causis a Communionem suspendat: praeter eas culpas, pro quibus antiqui Patres arceri ab Ecclesia iusserunt committentes. Quod etiam eliquatissimis verbis insinuavit Avitus Viennensis Episcopus Epistola 61. ad Costantinum Episcopum: Illud tamen suggerere, ac monere praesumo, ne propter leves causas, & non ad Deum, sed ad saeculum pertinens

tes, ne Laici quidem, non dicam Clerici Sanctae Communionem priventur: quia nescit, cuius dignitatis sit ipsa Communionem, qui non eam omni animostrate seposita, & cum magno dolore suspendit, & cum maxima festinatione restituit. Nulla pariter & injusta Censura est, si Iudex in ipsa Sententia causam insufficientem exprimat; puta si sacrarum precum recitationi diebus festis non intervenerit; aliaque id generis multa.

Nulla & injusta Censura est defectu debiti ordinis ad iudicii substantiam attinentis; puta si legitima citatio non praecesserit; si reus legitime documentis convictus non fuerit, si admonitio canonica in casibus a iure expressis non fuerit adhibita; & ratio est, quia si peccator per admonitionem conficius fieret censura sibi lata, a peccato fortassis resiliiret. Nulla tandem & injusta est censura lata sine scriptura & monitione, quae regulariter trina debet esse, ut magis appareat contumacia.

Quid autem factu sit opus in Censuris, quae nulla aut injustae sunt? Hoc pacto reponi posse crediderim cum S. Gregorio; Censuras ab Episcopo latis quantumvis nullas ob earum conditionum defectum, quas ufque modo protulimus, semper timendas esse, ne cum eorum scandalo contemnantur, qui forte earundem defectus ignorant; vel si noti, non ita propterea Superioris Sententia despiciatur, ut & ipse, ejusdemque auctoritas negligi videatur: Sub magno moderamine (inquit Gregorius summus Religionis cultor & Doctor) Pastores Ecclesiae vel solvere studeant, vel ligare: Sed utrum iusto an injusto obliget, Pastoris tamen sententia regi timenda est; ne is, qui subest, & cum injuste forsitan ligatur, ipsam obligationis suae Sententiam ex alia culpa mereatur. Pastor ergo vel absolvere indiscrete timeat, vel ligare: is autem, qui sub manu Pastoris est, ligari timeat, vel injusto, nec Pastoris sui iudicium temere reprehendat; ne, estis injuste ligatus est, ex ipsa timida reprehensionis superbia, culpa, quae non erat, fiat.

Ea nunc pro coronide exponenda supersunt, quae a censuris incurrendis excusant; Primo igitur excusatur a censuris ignorantia iuris, quia cum ad censuram incurrandam necessarium & contumacia, & admonitio aliqua praerequiratur, qui huiusmodi ignorantia laborat, certe nec contumax, neque admonitus censendus est. Secundo: excusatur a censuris ignorantia facti; puta si quis percussit Clericum, quem Laicum esse putabat; in hoc certe casu contumax dici nequit; nam praesumitur, perspecta facti qualitate, sese a tanto facinore abstinuisse. Notandum tamen, non excusare a censuris ignorantiam crassam, ut disertissimis verbis colligitur ex cap. Ut animarum Tit. de Confr. in sexto; tum etiam ignorantiam concomitantem; puta, si quis in Sylvis suum feriret inimicum, quem tamen feram esse credebatur; praesumitur enim, ita esse animo affectum, ut si scivisset, feram illum suum revera fuisse inimicum, nihilosecius occidisset. Excusatur tandem a censuris metus gravis cadens in virum constantem, modo ab sit grave scandalum; Ecclesia enim non obligat filios suos cum vita, famae, dignitatum, seu bonorum omnium periculo ac detrimento; Unde qui, huiusmodi metu percussus, praetermittit aliquod Ecclesiae praetermittit, non praesumitur contumax contra legem: proindeque in censuram non incurrit.

(a) Apud Ivenin Editionis Lugdunensis 1722, Dissert. 8. de Sacram. Ordinis pag. 569.